Trzebicki Andr.: Theoremata ex naturali Philosophia.

THEOREMATA

EX

NATVRALI PHILOSOPHIA.

In Regio Collegio Crac. Societatis IESV, defendenda ab ANDREA ZAWISZA TRZEBICKI Candidato Philos. in eodem Collegio.

Alberto Stravyc à Mgfco D. Romano Koricinio Osurgeimensi Castellanida in pignus amoris data et oblata. A° 31.

Noli me tangere.

CALISSII, in Officina Alberti Gedelij Archiepiscopalis Typogr. A. D. 1630.

Calisii Typogr.

Vt possint hæc Theoremata imprimi, facio potestatem.

NICOLAVS LANCICIVS, Rector Coll. Crac. Societ. IESV.

Cœli terræque potentem

VIRGINEM DEI MATREM,

Primo ac vltimo in puris hominibus miraculo sine originis labe conceptam:

SVO IN CONCEPTV,

VELVT SOLEM IN ORTV.

ANDREAS ZAWISZA TRZEBICKI, in Regio Societatis IESV Cracouiensi Collegio, Philosoph. Candidatus, prono animo, & prono corpore adorat.

HÆC Naturalis Philosophiæ placita primùm è Crac. Societ. IESV *Collegio typis vulgata & quasi nata,* TIBI CONCEPTÆ VIRGO *hoc est primùm natæ, decebat primùm consecrari. Meruisti* AVGVSTISSIMA IMPERATRIX, *ne solæ Tyri filiæ muneribus Tuum vultum ambirent. Quamuis si pro Tyri filiabus, filias istîc roboris lego, nescio an non Roboris ego filius, exiguo* TE *hoc munere cumulatũ eam.*

fol. 12 alio opere vide opella lecta legifido

Cum enim Germen sim quoddam Petræ, hoc est Petri qui Templo collegioq; Tutelaris est, eundem filium Roboris appellandũ consectarium videtur: cum non magis Petri symbolon sit quàm Roborũ, illa, Christi ore pronunciatà Petra. Verum quicunq; sim, ad TE CONCEPTAM oculos, & non solum cum voce manus, sed etiam munere, non quanto digna es, sed quanto dignari te possum. Aspiciunt & suspiciunt TE CONCEPTAM ipsæ Beatæ mentes, illud secum reputantes quæ est ista, quæ progreditur, quasi aurora consurgens? quidni & ego ad earum exemplum conuertam ad TE sic consurgentem oculos & manus? Accedit ô VIRGO, quod hic mihi pugnandum bellandumq; sit. Quid autem dignius quam TE conceptam bello meo legere patronam? Appellauit TE Religiosa quondam Græcia, iusto & digno titulo Nicopoeam nunquam tamen profectò magis quam in Conceptu NICOPOEA extitisti: quòd ibi pro TE victoria steterit, quæ pro mortalium vllo ne inclinauit quidem. Lecta sis igitur bello meo Patrona CONCEPTA VIRGO. Audio Arthurum ex Brittonum gente aliquem, TVA, quam suis armis insuerat fretum imagine, incredibili victoriâ, vnum nongentos adortum, vnum nongentos profligâsse. Non multum absimile Arthuri consilio meum consilium est. CONCEPTA VIRGO: Clienti Tuo hîc & vbique FAVE.

THEOREMATA CORPORIS NATVRALIS

De natura Physiologiæ.

PEruulgata aſt erronea, apud antiquos Philoſophos opinio inualuerat, omnẽ ſubtilitatis Phyſicæ cōprehenſionem veriſimilibus tantùm contineri. mutabilium & corruptibilium rerum veritatem obrutam, & confuſam latitare; nihilque certò cognoſci poſſe. Dixit hoc ſæculum rude, infante adhuc, & balbutiente Philoſophia. Adultior & politior ætas, omnino planum habet, & confeſſione conſenſuque ſapientum firmata firmat; Phyſiologiam à multis laudatam, à nullo ſatis, eſſe habitum ſciẽtificum purè ſpeculatiuum, inter contemplatrices diſciplinas ſecundùm primam Philoſophiam principem dignitate, & vtilitate tenentem locum.

2. Hæc totam entis naturalis peruagatur regionem; omnes eius partes ſpeciatim diſtinctéq; conſiderat; magni & parui vniuerſi vniuerſa cōmoda demonſtrat; communes rerum cauſas lati

tantes scrutatur: & primum immotum omnium motorem per effectus notificat: & quod ex Oraculo monent sapientes, Nosse teipsum, pulchra methodo edocet: Vnde sis, quibus constes, quo authore, quis te ortus exceperit, quis interitus maneat, quam beata Sedes inuitet.

3. Neque de tantis laudibus quidpiam detrahat, tanta dissidentium inter se sententiarum de subiecto cõsiderationis Physicæ varietas; dum alij entis mobilis, alij naturalis substantiæ finitæ, alij corporis generabilis, alij corporis naturalis aut mobilis nomine attributionis obiectum eius explicant. Hæc in idem recidunt, si æquâ animi lance pensentur: verborum hoc, non rerum dissidium. Aptiùs tamen adæquata Physicæ per corpus mobile explicatur attributio. Nam substantia naturalis finita considerationis eius materiam excedit. Corpus generabile & corruptibile non adæquat. Ens mobile ad remotam diuagatur transcendentiam.

De principiis rerum Naturalium.

4. PRima rerum principia Physico supponenda, non demonstranda esse, tacitè annuit Philosophus. Id non ad priuatum, sed ad cõmunem spectat artificem. Notitia tamen principiorum

cipiorum omni scienti perquam est necessaria: nam sicut effectus ex causa, totum ex partibus cognoscitur, ita & principiatum ex principio Omne principiũ est prius origine suo principiato; in rebus creatis, etiam natura. Principium in vniuersum dicitur; vnde aliquid aut est: aut fit: aut cognoscitur: siue sit possibile siue impossibile in re.

5. Principijs rerum naturalium, quæ neque ex alijs, neque ex alterutris, sed omnia ex ijs fiunt, fieri ex aliquo tanquam subiecto, vel causa efficiente, vel gradu metaphysico, vel parte integrante, non repugnat; fieri ex alijs compositiuè & terminatiuè repugnat, Talis origo nulla est principijs: nam ex principijs oriuntur omnia; ipsa autem ex re nulla alia nasci possunt.

6, In numero Principiorum statuendo, mirum quanta fuerit Aristoteli cum antiquis repugnantibus pugna. Quidam nullum principium dari, sed omnia esse vnum putarunt; quidam vnum duntaxat rerum naturalium principium innuerunt; alij multa, eaq́ alij finita, alij infinita; alij mobilia, alij motus expertia; quidam primordia rerum liti & amicitiæ, alij densitati; alij raritati; igni alij; alij terræ tribuerunt: illo Homerico decepti; Oceanum, Diuûm genesim, Tethymq́; parentem.

rentem. In numeros alij, præsertim in denarium id retulerunt. Quæ omnia non tam dissidentium Philosophorum dogmata, quàm dormientium somnia videntur.

7. Philosophicè Philosophus, principia cuiuslibet subiecti mutabilis sunt duo, & sunt tria. Duo in esse: forma & materia; tria in fieri scilicet id quod recipit fieri, ipsum fieri, & negatio ipsius fieri. Et sunt contraria & non contraria: quia subiectum vtriusq; receptiuum neutri est Contrarium. Duo igitur contraria contrarietate non positiua, sed priuatiua. Principia substantialis & accidentalis generationis sunt eadem non vniuocè, sed secundum analogicam proportionem.

8. Nutrix naturæ & vnū ex principijs entium, Materia prima, conceptaculum formarum; magnum & paruum; regio dissimilitudinis; causa diuisionis; Elementum, subiectum, sylua & mater omnium actuum: est primum vnius: cuiusq; subiectum ex quo fit aliquid cum insit non secundum accidens, & si corrumpitur aliquid in hoc abibit vltimum, vel ex negationibus deducere placet notionem: Materia per se ipsam, neq; quid neq; quantum, nec aliquid aliud quidpiam dicitur, quibus ens determinatur: neq; etiam negationes, est enim quid de quo singula horum prædicantur.

9. Non

9. Non est quantum, trifariam dimensum; non vnum ex elementis; non corpus, ex forma corporeitatis coęua constitutum: substantia illa est quamuis incompleta, sua entitate essentialiter corporea, per se substantias completas constituens, & formas in suo fouens gremio. Incorruptibilis ipsa alijs primæ corruptionis est radix: quia appetitu absentium formarum præsentibus molitur interitum.

10. Materia quidquid est, sua potentia est: imo pura potentia, quia hæc de eius natura ac definitione est: quæ ei faciendi vnum per se cum forma, ratio est. Eadem absoluta, & respectiua simul: etenim tota est ad se, tota pariter ad aliud: nec ei relatiuum transcendens adimit entis absoluti rationem. Formas Substantiales, transcendentali; accidentales prædicamentali, respicit in intuitu. Pura potentia cum sit, entitatiuum tamen non dedignatur actum. Hic materiæ identice, non tamen essentialiter conuenit.

11 Constat ingenitum esse materiæ appetitum formæ, situm in aptitudine ad suum bonum, & priuatione boni. Si in actum quem non possidet feratur desiderium est: complacentia, si re-

ſpicit formam qua fruitur. Appetitum materiæ nulla particularis forma extenſiue ſatiat: æque omnium eſt receptiua. Recedente & aduenienté forma ſubſtantiali, potentiam receptricem formæ, præſente actu non abijcit: eius priuationem abijcit.

12. Nihil otioſi natura patitur: igitur neque materiam, omni decore formarum ſpoliatam, conſeruare valet. Hæc vacuitas & ſolitudo in primis mundi natalitijs defuit materiæ. Neque tamen materia & forma tam arcto ſibi cohærent vinculo; quin citra contradictionem mutuo diſiungi poſſint, & ſeorſim exiſtere. Non quodlibet fit ex quolibet: ſed natura, aptam & idoneam ad opus aſſumit materiam; proinde diſpoſitiones ab agente in materiam inductæ, vagam eius potentiam coërcent, habilemq; reddunt, ad hanc, certam, & definitam formam recipiendam

13. Si natura aptum eſt, & quando natum aptũ habere, & non habet: Priuatio eſt; Hæc nil aliud eſt, quam abſentia eius quod eſſe poteſt Priuatio vt ſit, tria eſſe debent; quod ſit natum habere; & quando; & in ea parte. Eſt non ens, vel ſi malueris, aliquid eſt, negatiuum tamen non poſitiuum. Aliquid eſt; quia verum principium rerũ mutabilium eſt. Negatiuum quia dicit formæ non

non esse, in subiecto apto. Ad ipsam, est corruptio; ab ipsa, est productio, & nouæ formæ acquisitio. Principiat compositum per accidens; per se generationem, dum proxime non est.

14. Potissima naturæ pars, quæ indeterminatam materiæ rationem, ad certum entis gradum contrahit: informem informat; confusum chaos, ordinata serie disponit; impolitam potentiæ ruditatem, spectanda varietate exornat: Est forma Substantialis, actus simplex, ad vnum per se cum materia cōstituendum ordinatus: Diuinum quid, pulchrum, bonum, appetibile & perfectum. Actus est, quia potentiam actuat: simplex, quia aggregationem refugit: Finis agentis est, quia hac habita, cessat actio: quidditas & essentia rei est, non tamen tota, sed principalis eius pars; vltimo determinans, & specificans compositi naturam.

15. Dari formas accidentales sensus ipse palam monstrat: substantiales à notioribus ad ignotiora sese eleuans intellectus longo rationum ductu comprobat. Rerum naturalium formas, neque actu in materia perfectas, vel inchoatas existere: sic enim nihil de nouo gigneretur: neque prorsus nō existere: alioquin iam natura aliquid ex nihilo efficeret: sed secundum seminales latitare virtutes: dogma est Peripateticorum.

16. Omne ſimile producere nititur ſibi ſimile. Id quod in materia generatur, non eſt forma tantum; ſed compoſitum ipſum; quia eius fieri eſt cuius eſt eſſe. Oportet ergo vt ipſum generans, non ſit forma tantum; ſed compoſitum, ex materia & forma. Ad compoſitum, tam materia prima, quam forma ſubſtantialis, eſſentialem dicunt reſpectum: ad cuius intrinſecam conſtitutionem deſeruiunt. Omnes tam viuentium quam non viuentium formæ, virtute agentis naturalis de poteſtate materiæ educuntur. Solus animus rationis compos à ſolo Deo in gremium materiæ organizatæ infunditur.

De Natura & Arte.

17. CORporum formatrix & gubernatrix Natura; eſt principium & cauſa mouendi & quieſcendi; in eo in quo eſt, primum, per ſe, & non ſecundum accidens. Non ſoli principio paſſiuo; ſed etiam actiuo, quatenus actiuum eſt, definitio naturæ propriè dictæ competit. Compoſitum, non eſt natura; ſed id, quod habet naturam. Anima ſiue ſenſus, ſiue intellectus particeps fuerit; rationem naturæ participat. Priuatio nullo modo, quia eſt non ens, non cauſa.

18. Ars

18. Ars æmula naturæ, opera eius propria virtute moliri non poteſt: perficere accidentaliter poteſt. Natura arte ſimpliciter perfectior: Ars natura ſecundùm quid; Inter ſe partim conueniunt, partim differunt. Nam quandoq; ſimili feruntur modo; vtraque ratis legibus, certa præſcriptione, ordinate procedit; vtraq; pedetentim ab imperfectioribus, ad perfectiora aſſurgit: ex præiacenti ſubiecto, determinatas excitat formas: & cognatum ſibi ac ſimile effingere nititur. Quandoque diuerſo diſſident diſcrimine. Natura æmula Diuinæ artis, intrinſeco, actiuo, & paſſiuo laborans conatu, formas in compoſito veras, actuoſas. & quandoque vitæ participes efficit. Ars externam potiſſimum ſuperficiem affectans; extrinſeco tantum, & directiuo principio, non veras, ſed veri imitatrices, elumbes, & mortuas efformat formas.

19, Magia, eſt Facultas, efficiendi vi creata, arcana quædam, & inſolita quorum ratio, ſenſum, & communem vulgi captum, transgreditur. Hæc ſi cauſam finalem ſpectes, eſt duplex: Bona, cuius licitus vſus, & finis recte intentus: Mala, quæ praua intētione perficitur. Si effectricem, eſt triplex: Naturalis, Artificioſa, & Dæmoniaca. Naturalis, altius naturæ arcana peruadit; & ſapienter æquabili

bili cœlorum, ſyderumque curſu, ſympathijs, & Antipathijs rerum obſeruatis, ſuo loco & tempore res rebus applicat: actiua coniungit paſſiuis: calida non calidis permiſcet: & admiranda efficit: quæ cauſarum ignari, vt miraculoſa ſtupent, & quaſi præſtigioſa immerito damnant.

20. Artificialis Magia eſt duplex: Alia Mathematicis procedens ſolertijs, per ſolennia Geometriæ, & Aritmeticæ principia, nonnulla naturæ & artis reuelat ſecreta, operâ cauſarum naturalium, certo motu & dimenſionibus applicatarum. Huius artis induſtria, ſpecula Archimedis naues combuſſerunt Marcelli: Architæ lignea columba volauit: æreæ Boëtij volucres cantillabant. Alia præſtigiatrix, varijs innixa deceptionibus, pro velamine habens magiam Diabolicam, ſuum artificium in imaginibus, characteribus, & alijs id genus mentitur. Dæmoniaca, eſt ars quæ vi pacti cum veteratore initi admiranda, ſed nociua edit hominibus opera.

21. Amuleta, quæ è collo, & alijs partibus appendi ſolent: ſi quid poſſunt: non ratione figuræ, vel ſignorum ſed ratio ne materiæ, aut naturalis herbarum actiuitatis virtute poſſunt. Effectus liberos, & alios animi infallibiles motus à conſtellationibus expectare: ſcelus eſt idololatriæ:

triæ: Imaginibus, characteribus, & alijs figuris, certo tempore, & modo, conſecratis, exorcizatis, baptizatis, aliquam vim à cæleſtibus figuris communicatam concedere: error eſt fidei orthodoxæ oppoſitus: Imò ſacrilegum, & blaſphemum eſt, ritus ſacros ad tales applicare ſuperſtitiones.

22. Imaginationis vis, in proprium corpus multum, in alienum nihil poteſt. Varijs imaginationis typis prægnantium mens ſatiata ſimiles fætui latener notas eaſque indelebiles imprimit. valida imperante imaginatione multa noctambuli moliuntur, quod vigilantes non auderent. Tecta ſublimia conſcendunt, per trabes & lacunaria oberrant; omnia denique intrepide aggrediunrur: intellectrice potentia vaporum caligine ſopita, pericula non apprehendente. Imaginatio, retractans rerum per ſenſus perceptarum ſimulacra, varios animi affectus excitat: timoris, odij, pudoris, iræ, triſtitiæ, quæ hominem ſic calore, vel frigore alterant, vt palleſcat, vel rubeſcat, exiliat & efferatur vel torpeſcens deijciatur

23. Auri inſatiabilis fames, operoſo, ſed non fructuoſo, docuit Alchymiſtas ex fornaculis Chymicis, verum ſed minus vtile, producere aurum: arte inuidâ magis, quam æmula naturæ, in viſceribus

ribus terræ luxuriæ & auaritiæ irritamenta abſcō-
dentis. Multas ſpondent ſed nullas exhibent diuitias, Alchymiſtæ ipſi pauperrimi. Noxia & incerta ars Chryſopæia multos vana ſpe deluſos ad extremam redegit paupertatem.

De Cauſis Naturalibus.

24. PRincipium amplius eſt quam cauſa: illud quemcunque originis ordinem hęc influxum indicat. Eſt enim cauſa. Principium per ſe influens eſſe in aliud. Prius perficitur in ſuo eſſe, quam prodeat in externam actionem. Omnis enim cauſa prior ſuo effectu, ſi non tempore ſaltem natura. Ratione entis non ſemper nobilior ſuo effectu: ratione cauſalitatis ſemper Cauſarum numerus, quaternionem non excedit: binæ effectui intrinſecæ materia, & forma: binę ſunt extrinſecæ, Finis, & efficiens. Harum prima, ſi ſpectes originem cauſandi, eſt finis: ſi rationem motus Phyſici, efficiens: ſi quidditatem, Forma: ſi antiquitatem & permanentiā Materia.

25. Cauſalitas cauſæ materialis eſt duplex: altera erga formam. altera erga compoſitum. Aliter enim pendet Forma, aliter compoſitum à materia: illa vt à recipiente, hoc vt à componente. Vtrumque cauſat materia non per aliquid à ſe diſtinctum,

ſtinctum, ſed per ipſum ſuum eſſe. Radix prima cauſandi in materia, eſt entitas materiæ: Materializatio reſpectu formæ in facto eſſe, eſt ſuſtentatio formæ, reſpectu compoſiti in fieri, generatio paſsiua: in facto eſſe, vnio. Cauſat Materia formam, vt Quo, compoſitum vt Quod, vltimũ, & primarium.

26. Forma ſubſtantialis actus, duplici eſt prædita cauſalitate; altera in materiam, quam informando actuat: altera in compoſitum, quod vna cum materia partiatim condit. Illa prior origine, hæc præſtantior dignitate. Nulla forma, naturæ viribus, plures ſimul materias informare, nec eadem numero materia, à pluribus actibus ſubſtantialibus, actuari poteſt: id facere, ſoli Diuinæ non repugnat potentiæ, Eadem numero materia, à pluribus informata formis, non conſtitueret aliquam incompoſſibilem ex pluribus eſſentijs eſſentiam; ſed diuerſa compoſita completa haud ad inuicem prædicabilia,

27, Omne Accidens Materiale, habet materiam, non ex qua componatur: ſed ex qua educatur. Quælibet qualitas, ſiue Naturalis ſit, ſiue ſupernaturalis; vt gratia iuſtificans, & alij habitus infuſi, ſiue ſpecies intentionales, ſiue princeps qualitatum lux, dependenter à ſubiecto ſibi pro-

portionato, connaturali modo fiunt. Omne Accidens tam materiale quàm à Materia discretum, Diuina potentia extra omne subiectum conseruare; & in subiecto etiam indiuisibili collocare facile potest; vnica quantitate excepta, quæ rei spirituali primarium & intrinsecum formalem effectum communicare nequit.

28. Accidentis esse est inesse: Omni & soli substantiæ creatæ per se substenti. Insunt accidētia materiæ, vt subiecto inhæsionis, toti composito, vt subiecto Denominationis. Quodlibet accidens, pluribus simul inhærere subiectis diuinitus non implicat. Ab omni subiecto accidentia materialia separata, nec agere, nec pati naturaliter possunt; possent, diuisibilitate in ordine ad locum retenta.

29. Formam Substantialem vniri materiæ indispositæ, vel intimè præsentem dispositæ non vniri: nulla videtur contradictio. Materia & Forma, se ipsis immediate cohærent; & totum condunt compositum: neq; ad mutuam causalitatem exercendam, vlla entitate modali indigent. Compositum à partibus simul sumptis & vnitis, disiunctim acceptis, vt includens ab incluso distinguitur: ab ijsdem collectim sumptis, solo formali differt discrimine.

30. Esse-

30. Effectrix causa est, vnde principium primum & per se motus ac quietis Causalitas eius non alia est, quam affectus fluenter suum assumẽs esse; seu ipse influxus, aut dependentia effectus à causa in fieri & conseruari. Negare omnem vim agendi rebus naturalibus erroneum est. Formis Substantialibus immediatam non attribuere actionem inconueniens. Omnes Substantiæ (si primam exceperis materiam) sunt principium proximum actionis propriæ dictæ; substantialem effectum substantialiter sua attingunt entitate. Animal enim progignit animal; & à simili similis, vel per accidens dissimilis, expectatur fœtus. Accidentia productioni formæ substantialis, nonnisi instrumentaliter inseruiunt.

31. Prima & vniuersalissima omnium effectuum effectrix causa, ad singulos causarum secundarum effectus, tum immediatione virtutis creatæ, tum immediatione suppositi concurrit: sine præuia motione, aut impressa qualitate, determinante causas ad hunc specie, & numero effectum. Creaturæ ad speciem actus, liberæ per liberam voluntatem; naturales per suas formas substantiales, & virtutes actiuas sibi connaturales; ad hunc verò numero effectum, ab hac numero actione, hoc tempore, loco, subiecto, his dispositionibus de-

terminantur, vel quod magis arridet ab ipsa prima causa ad hunc & non ad alium actum concurrente.

32. Idea, forma mente concepta, quam effectus imitatur, ex intentione agentis propter finem; conceptu obiectiuo non formali absoluitur. Communiter diuersa ab ideato. Diuersum non constituit causandi genus, sed vario respectu, modo formalis, modo effectricis causæ naturam induit. In brutis hæc imago non conceditur, quia ex necessitate non autem præuio iudicij dictamine operantur. Mens creata per exemplaria, nonnisi artis opera molitur.

33. Finis cuius gratia aliquid fit, est vera Physica, & realis causa. Agentia ex cognitione intellectiua ad operandum, translatiua excitat motione. Non finalisat nisi cognitus, eius finalisatio à causalitate effectricis solo diuerso differt respectu, In ipso ratio mouens appetitum, est eius bonitas; conditio vel principium impellens voluntatem ad amorem est cognitio. Causat secundum esse reale, non intentionale. Propter finem, non nisi intellectrice potentia prædita operantur. Finis Cuius, & Cui, non duas astruunt, sed vnam adæquatam constituunt causam.

34. Causæ sunt sibi inuicem causæ, non tamen quæli-

quælibet vniuersarum vel vniuersæ quarumlibet sed indefinite, vt exercitatio boni habitus, & hic exercitationis; non tamen eodem modo; ille vt finis, hæc vt principium motionis. Eundem numero effectum, à diuersis causis totalibus eiusdem generis sibi non subordinatis, simul & totaliter ad talem effectum concurrentibus diuinitus produci posse, nulla est contradictio. Productio & conseruatio eiusdem, ab eodem distinctis non gaudent realitatibus. Illa dicit effectum quatenus ante non fuit, ista quatenus esse præhabuit.

35. Causæ per accidens, respectu Dei, nullæ Nihil in rerum natura est, quod Deo volente vel saltem permittente non contingat Respectu creaturæ binæ. Fortuna, & Casus: Illa dominatur in ijs quæ secundum electionem; hic in ijs quæ sine electione operantur. Monstrum est naturalis effectus à naturali regula ac dispositione deficiens Huius defectus causa multiplex; nimirum materiæ inopia, vel exundantia, virtus formatrix vehemens, vel debilis, permixtio seminum, intemperies qualitatum; vitiata àëris qualitas; Dei vindicta; mala hæreditaria; & alia extrinsecus incurrentia. Monstra si causam spectes proximam, non à casu sed à natura fiunt; si intentionem naturæ, casui adscribes.

36. Fatum quasi Dei effatum, est dispositio & ordo, in causis rerum constitutis, à quibus ineuitabili necessitate eueniunt effectus, ob Diuinam prouidentiam, falli nesciam, mutationis ignaram. Non est causa, sed ordo causarum diuinæ coordinationi subiectarum. Est vt ait Boëtius hærens immobiliter mobilibus dispositio, qua immobile Dei consilium res natura sua mobiles stabiliuit, sine læsione liberi arbitrij, omnia à longe prospiciens, omnibus cooperans; vnum quodque ex exigentia naturæ agere permittens: necessarias necessarijs, liberas, liberis effectibus subministrans causas: tamen infallibiliter, ineuitabiliter; nullum cogens; nullum necessitans. Hinc Augustinus sicut tu memoria tua non cogis fuisse, quæ præterierunt, sic Deus præscientia sua non cogit facienda, quæ futura sunt.

Motus & infiniti ratio.

37. Motus potissima corporis naturalis affectio, Mobilibus vt vita quædam inest. Naturæ Definitionem nescit, qui motum ignorat. Existentia motus probari potest, quamuis probatione non egeat, & à priori per naturam, & à posteriori per omnia illa signa & effecta quæ in sensus

sensus facilè incurrunt. Neque hic captiosus Zenonis triumphat Achilles. Nam omnis spatij finiti partes, sunt tempore finito pertransibiles, neq; motus ratione pluralitatis, sed ratione extensionis mensurat continuum, neque pluralitas per solam minoritatem infinitam, facit extensionem infinitam.

38. Naturam motus, trifariam describit Philosophus. Motus est actus entis in potentia prout in potentia. Motus est actus mobilis quatenus mobile existit. Motus est actus eius quod agere & pati potest, quatenus tale est. Omnes accomodè; prima tamen admiranda ratione motus successiui naturam enodat. Nullus motus sine termino, diuisibili; vel secundum partes quantitatis, vel secundùm gradus perfectionis. Successio est de essentia motus; Continuitas affectio eius perpetua & indissolubilis. Hæc non in omnibus ex æquo elucet motibus: in motu accretionis latet; in alteratione patet; in latione euidētius cernitur.

39. Motûs species duntaxat tres. ad Quantitatem, Qualitatem, & Vbi. Cum actione & passione eandem entitatem, non item formalitatem motus participat. Vna & eadem numero calefactio, quæ motus est; re ipsa actio & passio est; vt manat ab agente actionis; vt excipitur in patiente passio-

passionis; vt successiue fit, motus rationem sortitur. Actio & passio non idem sunt propriè: nam huius, ab hoc, & huius in hoc, ratione diuersa sunt. Actio transiens non agenti, sed patienti inest; latio ipsi mobili.

40. Infiniti naturam inquirere Physici muneris est. Cuius magnitudinem, motum & tempus inuestigare proprium est. Nam vnumquodq; horum finitum vel infinitum est. Infinitum ergo nomen negatiuum, dicens carentiam termini; cuius significatum est positiuum; quod semper in actu extenditur & intenditur. Non rectè dicitur, esse id cuius nil est extra. Est enim id, cuius semper est aliquid extra accipere. Locus, figura, Motus, additio, minoritas, æqualitas, mensurabilitas, pertransibilitas, finiti, non infiniti sunt affectiones. Infinitum est intelligibile cognitione non successiua sed simultanea. Finiri infinitum implicat pertransitiuè; non tamen comprehensiuè.

41. Infinitum actu Categorematicum, viribus naturæ finitæ denego. Idem omnia semper potenti, nec vnquam terminandæ potentiæ derogare vereor. Potuit Diuina potentia, quia voluit, magnitudines sine extensione; extensiones cum penetratione; indiuisa in se, & singularia, cum plurificata replicatione, multiplicare, & conseruare;

uare; cur non potuisset si voluisset? corpus cum infinita mole, multitudine, & intensione producere? Potuit quorundam mens, inter vulgatissima naturæ opera, intra viscera continui quanti, indiuisibilia diuisibilibus connexa; infinita finito clausa, interminata terminantia; & id genus varia fere inperceptibilia deuorare. Et intrà ipsius Diuinæ atq; infinitæ potentiæ opera, infinitum latitare non capiet: vel saltem cum Diuinissimo Augustino non fatebitur: necesse esse, Deum aliquid posse quod nos profiteamur inuestigare non posse.

Locus & vacuum.

42 QVidquid in rerum natura est; alicubi aut circumscriptiue, aut definitiue est; Sola sine mensura immensitas immēsi Dei est vbique, suprema Empyrei conuexitas nullibi. Vt res incerta concernatur præsentia, nulla vbicatio modalis intrinseca permanens vel fluens requiritur. Locus Aristotelicus non est spatium inter latera vasis interiacens; non quidpiam Imaginarium, aut relatio continentis immobilis. Germana immobilitas loci, non per ordinem ad partes spacij imaginarij; non per solam æquiualentiam; sed

per hanc, & per certam positionem in vniuerso, ad partes mundi fixas stabilitur.

43. Nusquam tantus fuit veterum Philosophorum in negando vel ponendo vacuo consensus, quanta est totius Naturæ in illo, inimico nisu impediendo conspiratio. Vacuum Natura odit: nilq; non molitur, cum periculum imminet inanitatis: ima & grauia, sursum attollit; alta & leuia deorsum deprimit: constricta dilatat: frangit fortissima. Vacuum naturæ etiam Angelicæ facultas efficere nequit; id soli potentiæ absolutæ relinquitur. Dato eo, & nullo substrato fundamento, nullus est possibilis progressiuus, vel proiectorum motus.

44. Vnum pluribus locis & plura corpora vno adæquatè circumscribere loco, sine entitatum dispendio, liberum Dei velle potest; viribus naturæ id fieri implicat. Nam primum expultrix alterius locati quantitatiua extensio, non patitur: secundum conuertibile attributum Entis vnitas, diuisionis, multiplicationis & replicationis ex se ignaræ non admittit. Locus locato sit adæquatus necesse est, non æqualitate dimensionis, sed continentiæ. Conseruare locatum non cuilibet, sed soli connaturali competit loco.

CON.

Continuum permanens & successiuum.

QVantitas accidens physicum, realiter à substantia separabile; coæuum materiæ; omni s actiuitatis expers; quidditatiuum conceptum, non per extensionem in ordine ad locum, sed per extensionem partium extra partes, in ordine ad se absoluit. Linea, superficies, corpus, specificis quantitatem discriminat differentijs. Commensurari spatio; replere locum; distingui situ, penetrationi obsistere; affectiones sunt, primæuam consequentes quantitatis rationem. Quantum, est diuisibile in semper diuisibilia. Ante assignationem in distinctas non resoluitur partium entitates: Indiuisibilia in quantitate sine intellectu nulla.

46 Si nemo ex me quærat scio, si quærenti explicare velim nescio, ait scientissimus Augustinus, tempus omnibus ore proferre licet: cognoscere, vel cognitum explicare non item: Explicat Philosophus: Tempus est numerus motus secundum prius & posterius, est mensurans & mēsurata mensura, quietis per accidens, & motus per se. Est ens reale, successiuum, à motu primi mobilis, seu potius corporis solaris ab ortu in occasum regulatissimo, & notissimo, entitate indi-

 stinctu

stinctum. Tempus sine motu nusquam, neque motus integritas, sine temporum fugitiuorum cursu, existit. Instans in tempore est ipsum tempus ad certa co͞notata attemperatum. Immensæ durationis Diuinæ mensura, est æternitas; seu interminabilis vitæ tota simul & perfecta possessio: tota simul existens duratio.

47. Duratio est actualis existentia rei in esse præhabito, siue simultaneè & permanenter, siue successiue, & fluenter durantis. Durat, sed in suo esse per nullam potentiam persistit, ens successiuum, quod suopte ingenio est in rapido fluxu, & successione perpetuâ; durat & persistit, sed tempore labili, ens permanens ortui & occasui obnoxium, quod nec semper fuit, nec semper futurum est: durat & stabili æuo persistit æuiternitas Angelorum, similiumq; substantiarum natura sua indefectibilium; quæ non semper fuit sed est, semperque erit: Durat & perenni æternitate persistit, qui semper fuit, est, eritq; æternus atq; Immortalis Deus Ter Optimus Maximus.

COROLLARIA.

I. *PRocessio viuentis à principio actiuo vitæ coniuncto, in similitudinem na-*

nem naturæ, est naturalium viuentium generatio. Hæc generationem verbi Incarnati ex semel Matre & semper Virgine factam. vniuoco respicit intuitu. Neq; defectus successiuitatis minuit similitudinem, sed solum extrinsecum constituit discrimen. Eua ex costa Protoplasti producta non filia sed vxor Adami prodijt, Æterna Imago æterni Patris facta est, in tempore germana proles & vera Imago Virginis Matris.

2. Verbi Diuini qua Humanati natura est duplex, Materia prima & Forma Substantialis: Eædem cum Priuatione, sunt principia Physica; Causa quadruplex; Materialis transiens, sanguis Virgineus. Formalis Sanctissima Anima Rationalis. Finalis, Gloria Indiuiduæ Trinitatis & Redemptio no-

 stra.

stra. Effectrix, Spiritus Altissimi virtus obumbrans, Virginis humillimæ verbum obtemperans.

3. Augustum Diuinioris Sapientiæ Sacrarium; Interminatæ maiestatis magnificentissimum domicilium, Magnam Magni Dei & Hominis Matrem; Infinita Diuinæ potentiæ benignitas, potuisset, si libuisset, infinitis gratiarum & prærogatiuarum exornare donis. De facto, quantum splendoris quantum decoris, contulerit, aliena decreta decernant: pientissimi Filij in Matrem Ter Optimam pietas indicet: Æterni Patris in primogenitam quæ ex ore Altissimi prodijt dilectio prædicet.

Ad maiorem gloriam Vnius Triadis, & Trinæ Vnitatis, atque Æternum Honorem orbis vtriusq; Reginæ, & Imperatricis MARIÆ.